1397

In dei nomine Noverint universi Quod Ego Bernardus ferrarii monetarius Civis Civitatis Valencie Gratis et ex certa sciencia per me et omnes heredes et successores meos quoscumque vendo et ex causa vendicionis concedo vobis venerabili Petro de Vallo Civi Barchinone et vestris et quibus volueritis perpetuo omnes illos Quadringentos solidos monete Jaccensis annuales et rendales quos venerabilis comendator et domus de Gardeny ordinis hospitalis sancti Johannis Jherosolimitani racione census absque michi faciunt et prestant et facere et prestare tenentur atque debent quolibet anno perpetuo in kalendis mensis Januarii Et illos eciam Quingentos solidos monete predicte annuales et rendales quos domus Aniche ... ordinis ... racione consimilis census absque michi similiter faciunt et prestant et facere et prestare tenentur et debent quolibet anno perpetuo in eodem termino Quos quidem Quadringentos solidos ex una parte et Quingentos solidos ex altera pertinent ad me racione empcionis quam inde feci a venerabili Petro Marrades cive Valencie procuratore Illustrissimi principis et domini domini nostri Regis plenam inde a dicto domino Rege potestatem habente prout de ipsa mea empcione plene constat cum instrumento publico facto in posse discreti Petri de Montesono notarii publici Valencie Nona die Marcii anno a nativitate domini Millesimo Trecentesimo Octuagesimo Tercio Hanc autem vendicionem et ex causa vendicionis concessionem facio vobis dicto venerabili Petro de Vallo et vestris et quibus volueritis perpetuo de predictis Sicut melius dici potest et intelligi ad vestrum vestrorumque ... dominium et possessionem mitto et transfero irrevocabiliter pleno iure ad habendum tenendum omnique tempore pacifice perpetuo possidendum et ad faciendum inde vestras omnimodas voluntates Sine contradiccione et impedimento mei et meorum et alterius cuiusque Constituens me predicta que vobis vendo pro vobis et vestro nomine possidere seu quasi donec corporalem possessionem seu quasi eorum vobis tradidero vel vos eam inde assecuti fueritis seu adepti Quam accipiendi vestra propria auctoritate quandocumque volueritis et licet retinendi vobis plenam cum presenti confero potestatem Mandando cum hoc publico instrumento vicem in hac parte epistole gerente venerabilibus comendatoribus dicte domus de Gardeny et domus Aniche ... quatenus ad utrumque eorum spectat et aliis eciam personis quibuscumque que ad solucionem seu prestacionem predictorum modo aliquo teneantur seu eciam tenebuntur quatenus de cetero vobis dicto emptori et vestris et quibus volueritis perpetuo loco vestri et non michi respondeant et satisfaciant pareant et obediant de predictis que vobis vendo prout michi respondere et satisfacere parere et obedire consueverunt et tenebantur Et vos et vestri in dictis successores possitis ipsos et bona eorum ad hec compellere et distringere et forciare modis et compulsionibus omnibus quibus ego possem Ego enim ex causa predicta et alias eis dictis modo et forma quibus melius valere possit et tenere do cedo et mando vobis et vestris et quibus volueritis perpetuo omnia loca et iura et omnes acciones reales et personales mixtas utiles et directas ordinarias et extraordinarias et alias quascumque michi competentes et competere debentes et valentes in predictis que vobis vendo et racione eorum contra quascumque personas et in quibuscumque bonis Quibus iuribus et accionibus predictis possitis vos et vestri et quos volueritis perpetuo uti et experiri agendo respondendo deffendendo excipiendo proponendo et replicando Et predicta que vobis vendo petendo exigendo et recipiendo Et inde apochas fines et cessiones faciendo et firmando Et omnia alia et singula faciendo et libere exercendo in iudicio et extra iudicium quecumque et quemadmodum ego poteram ante presentem vendicionem et iurium cessionem et possem nunc et eciam postea quandocumque Ego enim facio et constituo vos in dictis dominum et procuratorem ut in rem vestram propriam ad faciendum inde in omnibus vestras liberas voluntates Sine contradiccione et impedimento mei et meorum et alterius cuiusque Pro precio vero predictorum que vobis vendo dedistis et solvistis michi et confiteor me a vobis habuisse et recepisse decem Mille Quingentos solidos Jaccenses Super quibus renuncio excepcioni peccunie non numerate et non solute et precii predicti non habiti et non recepti et legi que subvenit deceptis ultra dimidiam iusti precii et dolo malo et accioni in factum et omni alii iuri racioni et consuetudini predictis adversantibus Dando et remittendo vobis et vestris et quibus volueritis perpetuo irrevocabiliter inter vivos siquid predicta que vobis vendo plus modo valent vel in posterum valebunt precio antedicto Insuper assero et affirmo vobis virtute per me inferius prestiti iuramenti quod de predictis que vobis vendo seu aliqua eorum parte nemini alteri per me vel interpositam personam feci aliquam vendicionem donacionem cessionem vel specialem obligacionem nec aliquem alium contractum seu quasi contractum in fraudem vel preiudicium presentis quominus predicta per me vobis vendita libere exhigere valeatis et habere Quinimmo convenio et promitto vobis quod predicta que vobis vendo faciam vos et vestros et quos volueritis habere tenere percipere et possidere in pace perpetuo contra omnes personas quibus ex factis seu contractibus meis existerent quomodolibet obligata Et quod tenebor vobis et vestris semper de firma et legali evictione eorum que pro factis seu negociis meis sequerentur et non aliter Et pro predictis omnibus et singulis complendis et firmiter attendendis tenendis et observandis obligo vobis et vestris omnia bona mea mobilia et immobilia habita et habenda ubique Et ut predicta et infrascripta maiori gaudeant firmitate iuro sponte per dominum deum et eius sancta Quatuor Evangelia manibus meis corporaliter tacta predicta et infrascripta omnia et singula rata grata et firma semper habere tenere et servare et in nullo contrafacere vel venire iure aliquo causa vel eciam racione Hec igitur omnia et singula supradicta facio paciscor convenio et promitto ego dictus Bernardus ferrarii per me et omnes heredes et successores meos quoscumque vobis dicto venerabili Petro de Vallo emptori predicto et notario eciam infrascripto tanquam publice persone pro vobis et omnibus heredibus et successoribus vestris in predictis et aliis eciam personis omnibus quarum interest et intererit recipienti et paciscenti ac eciam legitime stipulanti Actum est hoc Barchinone duodecima die Novembris anno a nativitate domini Millesimo Trecentesimo Octuagesimo Sexto Sig+num Bernardi ferrarii predicti Qui hec laudo et firmo pariterque iuro

Testes huius rei sunt venerabilis Berengarius de Valle baiulus Balneolarum et Anthonius Pelegrini comorans cum dicto Bernardo ferrarii et Petrus Bayona portarius domini Regis

Sig+num Arnaldi de Insulis auctoritate Regia notarii publici Barchinone Tenentis scripturas publicas que fuerunt discreti Petri Johannis de ... quondam Regia auctoritate notarii ... quas sibi comisit dictus Johannes ... scribanye domini Regis ... notarii publici Qui hoc instrumentum in eadem ... reddactum invenit in quodam libro notularum ipsius Johannis cuius nota ... lineata ... [illegible] ... vigore ... pro honore ... Barchinone et consilio ... Petri ... legum doctoris quarta die Julii anno a nativitate domini ... eadem nota ... [illegible] ... clausit die et anno prefixis

1397